



Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo

Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, M.DC.LXXXIX.

Cap. CXCV. Si Dominus jurisdictionalis qui à collectis immunis est, bona exempta alteri vendiderit, emptor amittit privilegium exemptionis; circa quod tres diversi casus considerantur. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98388](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98388)

numero quarto & quinto, ubi plures allegat, & num. 7. ubi agit de iure transmittendi fructus: Cyriac. controvers. 367. num. 1. & sequentib. Gratian. discept. forens. cap. 448. num. 23. Merlin. de legit. lib. 5. tit. 3. quest. 9. num. 13. & eod. lib. 5. tit. 3. quest. 3. numero 15. ubi questio deciditur in nostris terminis.

Remanet tamen difficultas, quæ non levis esse videtur. Quia præsupposito quod legitima debeatur matri à die d. professionis, ergo bona post professionem quaesita non videntur ponenda in calculo legitimæ, cum super bonis mortui legitima non debeatur; filius autem civiliter mortuus sit, dum ad illum bona paterna delata fuerunt.

5 Sed his non obstantibus, si remanet conclusio, quod etiam de bonis paternis postea delatis legitima debeatur matri: Quia cum jus petendæ legitimæ fuerit formatum, & radicatum in persona matris à die professionis filii, sequitur illud potuisse transmitti, & transmissum fuisse ad hæredes & successores matris, eodem modo, quo mater ipsa habitura fuisset. Unde cum adhuc matre superstite jura paterna devoluta fuerint ad filium religiosum, habuit super illis mater tunc vivens jus petendæ legitimæ, quam, ut dictum est, vivo filio professo petere potest. ¶ Quamvis enim quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio post professionem, & legitima debeatur tantum super bonis, quæ filius secum detulit tempore professionis, non autem super illis quæ postea ipsi obvenirent, ut voluit Valasc. consil. 24. num. 7. ¶ Tamen hoc intelligendum est de bonis per Monachum sua industria quaesitis, in quibus nullam mater potuit præterdere legitimam; secus autem est in bonis Monacho ex successione paterna delatis: quippe cum jus sanguinis, quod naturale est, sit principium & causa hujus acquisitionis, & id non competat tantum Monacho, sed competere cessante ingressu, bona illa reputantur quasi ante ingressum acquisita in favorem legitimæ matris: ut tradit Sanchez in oper. moral. lib. 7. cap. 9. num. 22. versicul. hoc autem intelligo: & post eum Barbof. in authent. si qua mulier, num. 10. Cod. de sacros. Eccles. & probatur optimè per text. in d. authent. si qua mulier, & in authent. de sanctiss. Episcop. §. si qua, collat. 9. consil. 15. in vers. sed si post ingressum: ubi dicitur quod si post ingressum monasterii Religiosus moriatur, nulla facta dispositione bonorum suorum, filii legitimam percipient, reliqua substantia Monasterio competente: cujus dispositionem locum habere volunt DD. tam in legitima ascendentium, quam descendentium: Sanchez. dist. cap. 9. num. 19. Barbof. ubi sup. num. 9. & 10. Unde patet, ascendentes habere legitimam de omnibus bonis filii Monachi ad illum pertinentibus, usque ad tempus mortis naturalis.

8 Et probatur, quia legitima est quid universale, sive dicamus illam esse quotam bonorum, sive hæreditatis: in universalibus autem veniunt etiam bona futura: Sanch. consil. 128. num. 7. & 8.

9 Item quia licet Monachi sint mortui mundo, tamen retinent jura sanguinis & fuitatis, & succedunt ab intestato: leg. Deo nobis, Cod. de Episcop. & Cler. Cravet. consil. 152. numero 2. Peregrin. consil. 47. numero 1. volum. 1. Ergo cum bona ista delata fuerint jure sanguinis ad filium, non debent ascendentes super illis excludi à legitima jure naturæ debita: ut per Sanchez. loc. cit. dicto num. 21.

Sanlegetii quæst. & resol. civil. T. II. P. II.

Maximè, quia legitima favorabilior est Ecclesiæ, & causâ piâ, illique præferenda est: Rot. decis. 420. numero 1. part. 4. recentior. Castill. de usufruct. cap. 65. num. 2. Dec. consil. 426. numero 5. & 6.

Neque obstat, si dicatur mortem civilem æquiparari naturali, quando mors civilis habet eundem effectum quem naturalis, videlicet quando bona statim post professionem acquiruntur hæredi Religiosi; secus quando bona remanent penes Monasterium, quia tunc Religiosus illa possidet in communi, & sic habetur quodammodo pro vivo: ut notat Barbof. in vot. Canonie. lib. 1. voto 6. dubit. 4. num. 35. Rota d. decis. 116. num. 19. & 20. part. 5. recent.

Respondetur enim regulam illam, quod mors civilis non æquiparetur morti naturali nisi in casibus à jure expressis, habere duas limitationes. Prima est illa, quam attulit Rota dicta decis. 116. & Barbof. loc. cit. quæ petita est ex Honded. consil. 60. volum. 2. & consil. 61. num. 42. & sequentib. vol. eod. & Gozadin. consil. 46. num. 17. nempe quod civilis æquivaleret naturali, quando ex ea resultat idem effectus; quia testator ingrediens Religionem declaravit expressè, vel tacitè, se velle quod suum testamentum statim post professionem fortiaur effectum, non expectata morte naturali: & tunc legitima testamento relicta peti potest actione ex testamento contra hæredem, qui statim post professionem acquirit hæreditatem.

Secunda limitatio, vel secundus casus, quem Honded. tractat tanquam diversum articulum à primo, est quando eadem ratio militat in morte civili, quæ in naturali, prout militare dicit eandem rationem, quando agitur de legitima, non ex testamento, sed à lege debita super bonis ingressi; & tunc quia militat eadem ratio in utroque casu, mors civilis habetur pro naturali, & legitima debetur non expectata morte: Honded. consil. 60. num. 25. & 26. volum. 2. & consil. 61. num. 21. eod. volum.



CAPUT CXCV.

Si Dominus Jurisdictionalis, qui à collectis immunis est, bona exempta alteri vendiderit, emptor amittit privilegium exemptionis. Circa quod tres diversi casus considerantur. Pro bonis extra territorium loci habitationis sitis, collecta solvi debet in loco habitationis, si in loco ubi sita sunt, nulla collecta solvatur. Hypotheca pro collectis certis, vel variabilibus quando incipiat.

S V M M A R I V M.

- 1 Domini jurisdictionales sunt exempti à collectis quoad bona feudalia.
- 2 Emptor bonorum feudalium amittit immunitatem à collectis, quæ Domino jurisdictionali vendenti competebar.

R 2

3 Collectis,

- 3 Collecta, sunt onera variabilia, & imponuntur persone pro rebus.
- 4 In materia collectarum emptio regulatur juxta tempus impositionis.
- 5 Mutata persona possessoris, cessat privilegium exemptionis regulariter.
- 6 Distinguntur tres casus circa solutionem collectarum faciendam per emptores acquirentes à personis privilegiatis.
- 7 Quando collecta nondum erat imposita tempore indita collecta, successor titulo particulari non gaudet exemptione.
- 8 Pro bonis quæ sunt extra territorium Communitatis, habitatores tenentur solvere collectas in loco sua habitationis, si in loco ubi bona sita sunt, nullas solvunt.
- 9 Executio quæ capiet ab immobilibus, est nulla, quando adsum mobilia, vel fructus; nisi aliter forma executionis in litteris executoriis data fuerit: si tamen à perversione ordinis non fuerit appellatum, executio remanet valida.
- 10 Per registrationem bona non sunt hypothecata, quando agitur de prestatione variabili & incerta: secus si agatur de certa, & invariabili, veluti de tributo.
- 11 Contrarium observatur, & verius est, quando bonorum descriptio fit auctoritate Superioris, & pro futuris temporibus successivè.

IN quadam controversia collectarum quæ petebantur adversus eum, qui bona emerat à Domino jurisdictionali loci illius, in quo bona sita erant, sequentes statui conclusiones.

- 1 Prima est, Dominos Jurisdictionales non teneri ad solutionem collectarum pro bonis feudalibus: Brun. consil. 91. & consilio 103. Alexand. consil. 145. lib. 2. Bertrand. consil. 207. num. 2. vol. 1. prior. Surd. consil. 234. num. 25.
- 2 Dixi secundò, quod si Dominus vendat bona jurisdictionalia, cessat exemptio: Natt. consil. 218. numero 8. Guid. Pap. singul. 273. Rot. Avenion. decis. 77. ubi deciditur controversia, utrum privilegium exemptionis transeat ad tertium non privilegiatum.
- 3 Ratio est, quia collecta est onus quod imponitur personis pro rebus: Thesaur. jun. libro primo, quest. 90. Brun. dicto consil. 91. numero primo, & est onus variabile: Rot. decis. 42. numero 13. parte 4. recent.
- 4 Quod ampliatur, etiam si agatur de debitis antea contractis: quia attendendum est tempus impositionis, tam ex verbis contractus, quibus emptor promittit solvere omnes collectas imponendas, quam ex dispositione juris quo debet attendi tempus impositionis: Amad. à Pont. quest. laudemial. 45. num. 18. & sequentib. Sola de jur. emphyteut. decreti Licet, part. 3. gloss. 2. num. 19. & 20. Unde licet Barones non teneantur ad collectas, ut supra dictum est, & tradit Manson. de caus. execut. ampliat. 29. num. 142. † Tamen quia per alienationem cessat privilegium, mutata persona; sequitur, novum acquirentem teneri solvere omnia onera post acquisitionem imposita: ut bene ostendit Bald. consil. 117. vol. 1. † ubi ponit tres casus. Primò, quando collecta erat jam ordinata, & consummata de præterito. Secundus casus, quando collecta erat ordinata, & non consummata, quia pro parte cesserat dies termini, & pro parte nondum adve-

nerat. Tercius casus, quando collecta nondum ordinata, neque consummata. Primo casu, immunitas consummata durat. Secundo casu, dicitur immunitas inspicere initio, quia jam immunitas incipit habere vim suam.

Quidquid sit de duobus illis casibus, cùm non versemur in tertio casu, nempe in collectis nondum ordinatis, multò minus consummatis, non durat immunitas, quia pervenit ad casum à quo incipere non potest: l. Titia Stio, §. usuras, ff. de legat. 2. Bald. dist. consil. 117. versicul. Tertio casu, vol. 1.

Et ut melius constet de prædicta veritate, videtur tatur quod collecta non solvitur ratione bonorum præcipue, sed principaliter ratione persone, cum etiam pro bonis quæ sunt extra territorium Communitatis, habitatores teneantur solvere collectas, si in loco ubi bona sita sunt, nullas collectas solvantur: ut notat Guid. Pap. juncta Addit. quest. 156. num. 1. & in gloss. A.

Quod autem dicitur, non potuisse vendi bona, immobilia pro collectis, sed tantum fructus de pignore capi, non potest decidi nisi visus tenor cartelli concessi exactoribus, & articulis contra factis cum Communitate. Sed illis cessantibus, licet verum sit, juxta l. à Dio Pio, ff. de re judic. executionem debere prius fieri super fructibus & mobilibus, quam super bonis stabilibus: Tamen ordo ille non est adeo substantialis, ut illius omisio reddat executionem nullam. Unde si tali perversione ordinis non fuerit appellatum, executio remanet valida, quavis inchoatum fuerit ab ipsis fundis: ut dicit Surd. consil. 39. numero vigesimo secundo, Galerat. de renuntiatis, caput 137. per tot.

A quo autem tempore incipiat hypotheca pro collectis, pender ex supradicta distinctione onerum perpetuorum & invariabilium, & incertorum ac variabilium. Quam distinctionem bene arguit Brun. consil. 103. num. 6. † ubi quod res per registrationem non est hypothecata, si registratio facta fuerit indeterminatè, & non pro certo & perpetuo onere. Et non facit vim, utrum agatur de tributo Principi præstando, nisi quatenus illud habeat certam & determinatam prestationem. Idem consil. 94. num. 2. versic. & quod quando: & num. 3. Idem distinctionem agnovit Rota in recent. decis. 10. num. 10. 11. 12. part. 4. ubi onera quæ imponuntur per æs & libram juxta varietatem temporis, dicit non habere hypothecam quæ sequatur possessorem.

Et ratio est, quia cùm hypotheca incerte obligationi accedere nequeat, quando collectæ imponuntur pro varietate negotiorum, non sunt bona pro illis hypothecata, sed tantum quando collecta est certa, & determinata, ac perpetua. Hoc enim casu est veluti quædam servitus realis, & vocatur munus ordinarium; alioqui vocatur munus extraordinarium, quod personæ pro rebus imponitur: Trentacinq. consil. 3. num. 9. vol. 1. Tale autem est extraordinarium, quod per æs & libram quandoque ad duos, quandoque ad sex decem, pro quolibet floreno plus, vel minus imponitur. Idem dict. consil. 3. num. 40. versic. tertio & sequentibus. Et ita decimum restatur Amad. quest. laudemial. 45. num. 19. & 20. bene Menoch. consil. 851. num. 33. & 34. & melius Cravet. consil. 872. numero 4. & 5. versic. Quarto hypotheca jus: & num. 9. versic. item.

Verum

11 Verum quidquid isti DD. dicant, verius est, & apud nos observatum, favore Communitatum, quod collecte quæ semper imponuntur cum auctoritate Superioris, habeant hypothecam, etiam contra tertios possessores, à die registrationis bonorum in libro Catastri: ut probat Merlin. *de pig-norib. lib. 3. tit. 1. quest. 6. num. 24. 25. & 26.* quia catastra quæ fiunt per nostras Communitates, non fiunt pro unica præstatione, sed generaliter pro impositionibus quibuscumque successivis temporibus faciendis: quo casu oritur hypotheca à die Catastrationis, etiam contra tertios possessores: Pa-cif. *de Salvian. interdict. inspect. 3. cap. 4. num. 523.* cum pluribus per eum citatis.



CAPUT CXCVI.

De validitate donationis factæ per mino-rem cum juramento in favorem sororis, cum substitutione in eâ apposta in favo-rem avunculi, qui erat curator donantis. Defectus insinuationis non posse oppo-ni per donatarium, vel ejus hæredem, qui in vim donationis bona possedit, & in fraudem substituti noluit insinuare dona-tionem. Donatio facta curatori sub in-certo conditionis eventu valida est.

S V M M A R I U M.

- 1 Insinuationis defectum opponere non potest ille, qui fuit in culpa, non insinuando in fraudem sub-stituti in donatione.
- 2 Donatarius qui fuit præsens & consentiens dona-tioni & substitutioni in eâ apposta, non potest opponere de defectu insinuationis.
- 3 Donatio facta per minorem suo curatori non sub-sistit.
- 4 Fallit in donatione conditionali.
- 5 Donatio conditionalis non est propriè donatio. In-tellige, ut hoc locum habeat, quando conditio respicit affectionem donatoris, ibidem.
- 6 Curator potest palam & bona fide sibi minorem suum obligare.
- 7 Donatio facta curatori, non uti tali, sed tanquam extraneo, est valida.
- 8 Donatio facta per minorem suo curatori non est ipso jure nulla.
- 9 Auctoritas Iudicis supplet defectum curatoris.
- 10 Substitutio apposta in donatione alteri facta non indiget auctoritate curatoris respectu substitu-tionis in eâ adhibita.

1 Donationem factam per D. Mariam, in qua ejus avunculus & curator fuit substitutus, va-lidam esse dixi, non obstante defectu insinuatio-nis: quia soror donataria fuit in culpa, non insi-nuando: per text. in l. facta 63. §. si quis bonorum, ff. ad Trebellian. ut in terminis Ordinationis Regiæ Bouvor tom. 2. in verb. substitution, quest. 18. Theve-neau ad Ordinat. Reg. fol. 523.

2 Item quia Donatarius fuit præsens, & sciebat donationem: unde quoad ipsum non fuit necessa-ria insinuatio, prout de teste qui præsens fuit do-Sanlegerii quest. & resol. civil. T. II. P. II.

nationi, tradit Guid. Conchil. in suis questionib. super Consuetud. Gall. quest. 165. circa med. Item quia donataria per suam præsentiam approbavit dona-tionem, & omnia in ea contenta; unde non potest nunc impugnare.

Neque qualitas curatoris nocere debet: quia 3 licet regulariter donatio illi facta non valeat, Rot. decis. 586. part. 5. recent. Gutier. de tutel. part. 2. cap. 16. num. 26. Rip. respons. 4. de donat. alias 133. num. 10.

Tamen hoc non habet locum in donatione 4 conditionali, ex notatis per D. Bellum consil. 210. num. 5. ponderetur text. in l. si Gaudentius 6. Cod. de contrahend. empr. & l. si extraneus 45. ff. de donat. in-ter vir. & uxor. † quia donatio conditionalis non est propriè donatio: D. Bellus d. consil. 210. num. 5. Quod procedit, prout in casu nostro, quando conditio respicit affectionem donatoris: Gloss. in l. 1. in verb. sequutum, & ibi Imola, ff. de donatio-nibus.

Præterea quia in illa donatione duo duntaxat considerari possunt impedimenta. Primum, pro-hibitio legis: Secundum, auctoritas curatoris, quæ in proprium favorem interponi non potest, ut distinxit Cald. in l. si curatorem, in verb. contra-ctum fecisti, num. 31. versic. nec pro communi sen-tentia.

Prohibitio legis non nocet, quia non habet 6 locum cessante præsumptione fraudis, veluti si contractus fiat palam: l. pupillus, §. item ipse, ff. de auctor. tutor. quo nituntur Rip. Gutier. & alii. Palam autem fieri dicitur quod fit in præsen-tia Judicis, & partis interesse habentis. Menoch. lib. 3. præsumpt. 80. num. 8. & 11. & in simili Pere-grin. consil. 59. per tot. vol. 6. Mantica post Bald. lib. 4. de tacit. tit. 23. num. 21. Ludovicius decis. 356. num. 6.

Item non potest considerari læsio, quia nihil intererat donantis, mortua donataria, ad quem bona revertentur: ergo cessat restitutio, l. scio 4. ff. de minoribus.

Item donatio non fuit facta tanquam cura- 7 tori, sed tanquam avunculo: Bouvor tom. 2. quest. 41.

Unde in casu decis. Rot. 586. part. 5. recent. duæ donationes factæ fuerant curatori avunculo, & una ex illis declarata fuit valida.

Ideo tales donationes non sunt nullæ ipso jure: 8 Cald. ubi supra, num. 1. & propterea firmantur ju-ramento, cessante fraude: Sanch. de matrimo-n. lib. 1. disp. 32. num. 8. 11. & 12.

Secundum impedimentum non nocet, quia 9 auctoritas Judicis supplet defectum curatoris: Cald. ubi supra, numero 31. versic. sed verius: & versic. sed ulterius: & num. 32. versicul. manifestè innuit.

Denique, quia substitutio nec utilitatem, nec 10 damnum minori afferre poterat: quia ejus nihil intererat ad quem bona devolverentur, mortua donataria; ideo auctoritas curatoris non erat ne-cessaria: Cald. ubi sup. num. 35.

Et ita fuit judicatum per Rotam Avenionen-sem in favorem Domini Fragnol, loci de Mon-tillii.